GAUDEO
John Carter Brown
Library
Brown University

1826
Ord 9.º Cas 3.º
80
1826
51

14008

✠

DE EXAMINE

SYMBOLI POLITICI, AC MILITARIS

PLVS VLTRA.

Apud Bartholomæum Leonardum

EPISTOLICA EXERCITATIO.

EXCELLENTISSIMO VIRO

Domino D. MELCHIORI de NAVARRA & ROCAFVLL, Alcantarenſis Ordinis Equiti, Duci Pallatæ, Maſlæ Principi, Marchioni Tolæ, Supremo, nuper, totius Coronæ Aragonum Vice-cancellario, & Sacri eiuſdem Conſilij Præſidi. In Sex-virali Hiſpanici & Indici Imperij Sereniſſimæ Reginæ Regentis Conſultationi, Magno Adſeſſu, Adminiſtro. Nunc Status, ac Belli Conſiliario, Peruano, Chilenſi, ac Terræfirmæ Proregi, & Sumo Duci Belli, &c.

INSCRIPTA, ET DICATA.

(✠)

NAmque niſi fallor, iſtæ EXERCITATIONES, *& libentius Nos ad lectionem propoſitæ materiæ producunt: & cum ibi venerimus, evidentiorem præſtant intellectum.*

Ex Gaio I.C. *in l. 1. in fine de orig. iur.*

LIMÆ, ANNO 1682

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

C*VM pridem Hiſtoriam Aragoniæ relegerem ad eiuſdem Regni Leges (Foros dicunt) illuſtrandos, fortè incidi in Examen* Bartholomæi Leonardi, *Symboli Politici, ac Milatris* PLVS VLTRA *à* Bartholomæo *etiam* Marlano *adinventi, &* Caroli I. *Regis noſtri, Signis, Numiſmatibus, ac Operibus publicis eiuſdem Regis voto, depicti, impreſſi, excul. pti. Hæſi primum ad* Leonardi *cenſuram, cum ipſius ibidem nulla ratio ab Auctore ſuo reddatur, eamque religioſiſſimo pariter, ac latiniſſimo Patri* Simoni Plaza *mihi revelandam, ſupplici epiſtolio commiſſi, quod ipſe pro ſua ingenti humanitate, ac doctrina ſanè fecit. Cum vero meas deinde & P.* Plaza *litteras, chariſſimo Fratri & Amico P.* Franciſco Lopez, *Ecellentiæ tuæ nunc à ſacris Confeſſionibus, miſiſſem id ab eo petens, vt cenſuræ ſuæ calculum, pro vt eſt omnium bonarum litterarum Anteſignanus, eiſdem adderet; iam meas, P.* Plazæ, *& fraternas litteras Tibi,* EXCELLENTISSIME PRINCEPS, *ſubiungo, qui Herculeas vltra Columnas cum ad Peruana Regna guvernanda veneris, velificaberis. Imo* Citra, *cum ad ſupremum Hiſpani Status & totius Monarchiæ apicem prius aſcendiſſes. Ergo ſabe Et vel* Plus vlt a, *vel* Plus citra, *Tuo inſcribendū Gentilitio Lemma, bona Priſciani venia, libenter excipe. Dabam bis Limæ III. Non. Decembris Ann. M. DC. LXXXII.*

EXCELLENTISSIMI NOMINIS TUI.

perpetuus cultor.

D. Ioannes Ludovicus Lopez.

DE EXAMINE, SIMBOLI POLITICI, AC MILITARIS

PLVS VLTRA.

Apud Bartholomæum Leonardum, EPISTOLICA EXERCITATIO.

EPISTOLA I.

Sapientiſsimo Patri *Simoni Plaza* S. I. *Ioannes Ludovicus Lopez* I.C. Cæſarauguſtanus, ſalutem plurimam.

CVRIOSITAS NIHIL RECVSAT, olim ſcitè Vopiſcus, *in Aureliano*. Ergo ad te (Sapientiſſime Pater) confugere, & ſupplici hoc epiſtolio Tecum rem litterariam agere, Me vel inſolentia conſilij, vel eloquii inconcinitas impedient? non puto. Omnia enim vel in vno cognomine Tuo adinveniri annoſus Hiſpanimus vulgat. *Todo ſe halla en la Plaça*; ne aliud quam quod fama rerum tuarum teſtetur. Ergo aut profætauit de Te Hiſpana Paremia, aut nuſquàm melius rei nomen ſuum conveniſſe dicendum eſt. Impolito itaq ſermoni vt parcas, & leviſſimæ dificultati (quæ enim ſolertiſſimo Tuo iudicio non levis?) ſolutionē mihi præſtes, vti & facile ſpero ita enixé rogo, quam ſubiungó.

Bartholomæum Leonardum noſtrum (Gerionis alterum, vt cum Lypſio *Epiſt. miſcell. cent. 4. ep. 26.* de eo loquar) dum relego, ne mihi vt alijs videatur, *nodum in ſcirpo*, quod aiunt, quæſiiſſe, ingentis viri, & gratiſſimi Muſarum omnium amaſij authoritas, procul amandare viſſa eſt. Locum ipſius accipe, ſic *in Annalibus Arag. lib. 1. c. 16. pag.* 155. grammaticê philoſophantis. Guſtaba „ mucho al Rey (D. Carlos I.) de las cartas que notaba (el Maeſtro „ Pedro de la Mota) pero no menos, y por otro camino faborecia „ a Bartolome Marliano, cuya empreſa le plugo tāto, que la tomò „ para vſar de ella en el ornato de las vanderas, y la mandò eſcul„ pir en los reverſos de la moneda. Verdad ſea que Bartolome „ Marliano en lengua Franceſſa, ó, Borgoñona puſo la letra diciē„ do PLUS OVTRE, que abraza y declara el concepto con propie„ dad, y elegancia. Quien deſpues hizo latinas aquellas dos pala„ bras PLVS VLTRA peruirtio el lenguaje latino, conforme a cuia

„pureza, no puede ligarſe ſin abuſo el PLVS con el VLTRA. Y aſſi
„como erraria el que dixeſſe PLVS APVD, PLVS CITRA, PLVS
„ANTE, PLVS EXTRA, PLVS INTER, O PLVS SVPRA, erro quien
„dixo PLVS VLTRA. Pero la eſta aduertencia llega a tiempo, que
„el PLVS VLTRA ha preſcrito contra el buen vſo latino, i cobra-
„do tanta autoridad en el mundo, que podra la buena Grama-
„tica deſconfiar de la reſtitucion. Et ad oram hæc addit. Exa-
„men de la empreſſa que inventó Bartolome Marliano.

Velent forſan non nulli, quod tam acris iudicij aliqua ſaltem ab Auctore ſuo ibidē ratio redderetur, quod tamen ipſe vel *ſecurus magnitudinis ſuæ*, vel notiſſimæ alicuius apud Nebrixianos regulæ, maluit reticere. Me certè etſi totius latinitatis expertem, quique tantum harum vocum *intra*, *citra*, & *vltra*, originem ab minutiſſimis antiquis particulis *in*, *cis*, & *vls*, apud Agelium *noct.attic.lib.* 12.c.13. me legiſſe ſim memor; facile in eam ſententiam adduceret, vt crederem PLVS APVD, etſi quid huic ſimile dici non poſſe, forſan ex eo quod ex adverbij, aut nominis iſtius, & præpoſitionis ſicca copulatione, terſus ac perſpicuus ſermonis ſenſus deprehendi nō poſſit; verū ſicuti hancce Auctoris mentem fuiſſe non videtur, ſed ex præcipua quadam copulationis harum vocū interditione, malé in celebratiſſimo toto orbe ſymbolo, latinitati conſultum fuiſſe; ita vt id mihi pandas quam ſumopere vellem, ac pro tua ſumma eruditione examinis iſtius nobum examen ſubeas. *Habet* enim *hoc ſolicitudo, quod omnia neceſſaria putat*, vt cum Plinio *lib* 6. *ep*.9. Ergo dum voluntariæ petitionis notam excuſſo, ita etiam non facile credam fore à Te contemnēdam, qui apud Livium *lib* 7. dubio procul iam legeris: *Parva ſunt hæc, fateor, ſed parva iſta non contemnendo maiores noſtri maximam hanc rempublicam* litterariam *fecerunt*. Vale, ſapientiſſime Pater, & ad votum meum immortalitati vive. Cæſarauguſtæ ex privato Muſeolo III. Non. Decemb. M.DC.LXXIX.

EPISTOLA II.

Eruditiſſimo, & Ingenioſiſsimo Cæſarauguſtano I.C. D. *Ioanni Ludovico* Lopez. Suus ex animo *Simon Plaza* S.I. ſalutem.

SCIO magnis Principibus probro datum (eruditiſſimè & ingenioſiſſime Ludovice) in rebus neque vtilibus, neque ſerijs tempus, *gemma pretioſſius omni* per otiū cōterere. Domitianus Imperator figendis muſcis im

pene

pendebat ſolidos dies. Hartabas Hircaniæ Rex talpas venabatur. Bias Lydiæ Princeps filo ranas colligebat. Fuit qui cælebat Quadrigas, quæ muſcæ ſub alis celabantur, in quos excandeſcens Ælianus: *Quid hoc aliud*, exclamat, *quàm temporis vanaperditio?* Nec illi non abuſiſunt tempore, qui in deſcribendis, per iuſta volumina, fele, cane, paſſere, rana, pulice, culice, quin & pediculo deſudarunt. Ne iſti omnes dolere cum Tito Imperatore rectius poſſent, *Amici, diem, annos, vitam perdimus.* Vt vt hoc fecerint, peccaverintve Magna nomina, crimini Tibi nō verto curioſsitatē tuā. *A cura curioſitas dicta* (habet in ſuo Theatro Laurentius Beyerlink) *quæ, ſi eſt iuſta, & neceſſaria, convenientius dicitur diligentia, & virtutibus adſcribitur.* Nec ideò à Mevapulabis, vt vapulauit olim Antoninus Pius, qui, quòd vel in minima emiſſitios oculos conjiceret dictus eſt *cumini ſector.* Immo, vt ad Atticum ſcribit M. Tullius: *Nihil dulcius quam ſcire prorſus omnia* Et vt Græca fert paræmia: *Zenonium eſt, & lentem coquere.* Quā ſignificatum novimus: *Eſſe viri boni, etiam in rebus minutiſſimis, ſui ſimilem eſſe: aut periti Artificis in quacunque materia oſtendere, quantus ſit Artifex.* Talē profecto te exhibes, præſtasque mi Ludovice, qui cum doctam Iuriſprudentium Rempublicam edito iam libro auxeris, aucturusque ſis alijs æque ingenioſſis, & eruditis lucubrationibus, ad Quæſtionem ex toto Grammaticam deſcendis, *ſecurus magnitudinis tuæ*; neque enim in humili Coloſſus deſinit eſſe coloſſus.

Diem dicis Leonardo noſtro, me Iudice. Seró ſententiam meam quæris. A te victus & iugulatus eſt. Addo victoriæ tuæ ſuffragi m magis quam iuditium. Contendit Leonardus, factus ex Hiſtore, Grammaticus, malé de hac facultate fuiſſe meritum quiſquis in notiſsimo Caroli V. ſigno copulat duas has voculas: PLVS VLTRA, quaſi vitioſas, maleque cohærentes: ducitur inde quia peccaret in Grammaticos canones quidiceret: PLVS APVD, PLVS ANTE, PLVS SVPRA &c. Fallitur: dormitavit bonus Homerus Cæſar Auguſtanus, qui non vidit, in eo ſymbolo PLUS, & ULTRA Adverviorum, non Præpoſitionum gerere munus, reddunt igitur voces prædictæ hunc Hiſpaniſmum MAS ALLA. Nam cum Hercules pro termino & meta expeditionum victoriarumque ſuarū binas columnas Gadibus poſuiſſet, Hercule maior Carolus plus vltra victor excurrit. Tenuit Hercules ſe intra Gaditanos limites: ſed plus vltrá proceſſit Carolus, qui triumphale ſuæ militiæ labarum in alium orbem invexit. Dixerit de Alexandro Lucanus:

Vnus

Unus Pellæo Iuveni non ſufficit orbis;
Quanto ipſe verius, & citra aſſentationem, de Carolo (inconcinnus liceat vates) repoſuero:

Belgico Alexandro geminus non ſufficit orbis?

Quod verò adverbialiter ſumpta *Plus vltrà* caſtè & latinè jungantur, iiſdem met convinco exemplis, quæ parum latinè maritantur Leonardo. Nam quis mihi jure ſuccenſeat, ſi de Divis Petro, & Ioanne ad redivivi Chriſti ſepulchrum properantibus affirmavero: *Plus antè* venit Ioannes quam Petrus?
Inſuper duobus in ſublime jaculãtibus, de victore cur non dicã:
Titius præ Caio jaculum *plus ſupra* contorſit?
ſed eſto, ſint in Imperatorio ſymbolo Præpoſitio Tô *vltra*, vt velle videtur Leonardus. Quid tunc? An non licebit mihi dicere degratioſsiore apud Chriſtum Ioanne (modô *Plus* maneat adverbium) *Plus ſupra* cetæros diſcipulos, diligebatur a Chriſto Ioannes? *Plus ante* alios, *inter* alios amabatur? Ceterùm non abeamus ab ipſo *Plus vltra*. Quod flagitium erit in Ciceroniano, ſeu, vt mavis, Nebriſenſi ſubſellio, affirmare de Proditore Apoſtolo: *Plus vltra* reliquos Apoſtolos deliquit, ſeu lapſus eſt Iudas?

Sed age iam petamus ingulum, & pedem pedi conferamus ſint vt volet Leonardus, in Cæſareo ſymbolo Adverbia aut Præpoſitiones *Plùs vltrâ* vel alterum Præpoſitio, Adverbium alterũ: elige, certé Famianus Strada (qualem quantumq̃ latinum laudo ſcriptorem!) in prima de Bello Belgico Decade dum cauſas abdicati a Carolo Imperij commemorat, alteram ait fuiſſe fortunæ mutationem ſuæ. *Ideoque* (Stradæ verba ſunt) *pro columnis Herculis, ac* PLVS VLTRA *vſitato Caroli V. ſigno, non deerant qui Cancrum, &* PLVS CITRA *accommoda tam videlicet tempori notam ſubſtituerent.* Quid ad hæc Leonarde? Profectó, ſi, vt Phyloſophica ſententia eſt: *Contrariorum eadem eſt diſciplina*, quid quìd de voce CITRA cenſueris, decreveriſque, cenſere ac decernere de VLTRA illi oppoſita Te par eſt. Si Cenſore Strada, *Plus citrà*, & *Plus vltra* latina ſunt, herbam porrige, tanto viro ſubmitte faſces, conſul eſt in Romana Eloquentia.

Hæc habui, quæ plena pulveris & feſtinationis charta ſenſerim ſuper vocalis PLVS VLTRA admorſis â Leonardo. Tu rem acu prior tetigiſti: viciſſe ſit tuum, Meum in omnibus Tibi morẽ gerere. Vale ex Pluteo, ſed non Horatiano VII. Idus Decembris MDC.LXXIX.

EPIS-

EPISTOLA III.

D.D. Ioanni Ludovico Lopez. I.C. Domino, ac Fratri meo chariſſimo. *Franciſcus Lopez* S.I. ſalutem.

S*Pectatum ſatis, & (abi invidia) donatum iam rude quæris Grammaticæ rurſum antiquo me includere ludo*, dum & tuas & Simonis noſtri litteras cenſorio oculo legēdas mittis. Paucis me expediam, nam & Lacones amo, & rem â ſapientiſſimo noſtro Simone Plaza excuſſam, nihil eſt quod iterum in examen compellem. Ergo Iudicem agere iubeor inter Leonardum, & Simonem, vtrumque noſtrum, & quod mireris, dum de notiſſimo Caroli V. lemmate *Plus vltra* lis eſt; *Plus vltra* me pergere deſideras. Quid ego? *Plus citra*, vt tantis viris morem geram. Cæterum hæc habe. Leonardum noſtrum quæſtiunculam excitantem non improbo; nec *bonus Homerus* Cæſarauguſtanus *dormitavit*, vt Simon aiebat, cui fortè Leonardus notiſſimum illud *Simon dormis?* reponeret, dum rem omnino probantem videret; eſt enim cur Leonardus dubitarit. Ergo *Plus vltra* male audiet apud Gramaticos? ſi de copulatione vocũ quæris nihil eſt quod in Solos Ciliciæ Vrbem, ſolæciſmi ſcilicet Patriam, eas relegemus; niſi cum Martiale ludamus, qui ad hanc rem ſcitiſsimé in Calliodorum:

Vnus cum ſitis, duo Calliodore ſedetis;
Surge, ſolæciſmum Calliodore facis.

Et in hoc pleno & fœlici calamo Simon noſter deſudauit. Cæterũ barbarê dictum crediderim, nõ ex aliâ cauſa, niſi quia *vltra*, ſatis hunc ſenſum reddit *Mas alla*; vnde vocula illa *Plus* omnino supereſt; quod ni fallor, & intendere debuit, licet exempla quæ adducit ex toto non probent; in quo animadverſione dignum exiſtimamus & nativa, quæ refert ſymboli verba *Plus outre* facile ſuadent. Niſi mavis *Plus vltra* ſic Hiſpanè interpretari *Mucho mas alla*, quod etiam barbariſmi ſorde carere defendere nõ cunctabimur. Pergo. Quid enim de Famiani verbis? Audivimus Stradæ Notatorem aliquem in illa offendiſſe, dum ad illa verba *Plus vltra*, & *Plus citra* oblatrabat; *Quid attinebat id genus* BARBARISMIS *dictionem infuſcare? cum columnas Herculis nominarit; quid ni has vltra, & has citra dicere præoptavit? ſic enim abeſſet periculum ne Ieſuitarum diſcipuli has ſermonis ſordes affricari ſibi paterentur.* Rodentem vero, *dicere verum quid vetat?* Tum maxime cum nec in minimo Famianum læſerit, is enim alienum

14009

dictum toto orbe notum retulit in chartam. Quid vero ſi latiniſsimo Famiano noſtro magis ingenium, quam latinitatem vtriuſque ſymboli placuiſſe dixeris? Immo ſecundi Auctorem, qui cum barſ nũ adnotaſſet, non ſuum, ſed alienum tacito tamen nomine vulgaverit? Iudicium omnino laudarē Bartholomæi Leonardi noſtri ſimillimum, qui celebratiſsimo Hiſpano Epigrammate, dum acumen levioribus verbis, ne omnino periret, explicandum conceperat, Aurigæ tribuit, dum incipit: *Es mi cochero Muſico, y Poetà* &c. quod tenaciter cordi ſedet. Ergo Famiani verba, vt in nihilo lemmati favent, ſic nec Notatori ſubſidio ſunt. Rem claudo, & Te in Hiſtore noſtro nulla deſpicientem, cum Simone de his qui levioribus inſudarunt non leviter ſcribente, laudo. Vale. Ex Cæſarauguſtano Collegio S.I. IV. Idus Decembris. Ann. Chr. MDC.LXXIX.

✠

CONSVLTA
DEL AVDITOR GENERAL
DE LA GENTE DE MAR, I GUERRA DE ESTE REINO.

SOBRE

La Fuga de veinte Soldados, de la Compañia de Leva del Capitan Don Sebaſtian de Carranza, que ſe huyeron del Navio San Pedro, con ſu Cabo, Ronda, y Centinelas: y demas exceſſos, que cometieron haſta que fueron aprehendidos.

A L

EXCELENTISSIMO SEÑOR

DON MELCHOR DE NAVARRA I ROCAFFULL, CAVALLERO DEL ORDEN DE Alcantara, Duque de la Palata, Principe de Maſſa, Marques de Thola, de los Conſejos de Eſtado y Guerra de ſu Mageſtad, ſu Virrey, Governador, y Capitan General de eſtos Reynos del Peru, Tierrafirme, y Chile, &c.

EN *Illuſtracion de las Leyes 15. y 22. del Tit. 17. del Libro 3. del Sumario de las Leyes de las Indias.*

Preſertim in Bello FACTO *magis, quam* CONSVLTO *opus eſt.*
Vegetius *lib. 2. de Re milit.*

EN LIMA AÑO DE 1683.

14023

LXIV. A 11. de Setiembre de 1694. le hizo S. Mag.d merced de la Plaza de Fiscal del Sacro, y Supremo Consejo de los Reynos de la Corona de Aragon.

LXV. A de Agosto de 1696. le hizo S. M. merced de 200. Ducados de pension sobre los Obispados de este Reyno, para uno de sus Hijos, el que Don Juan señalasse, - se situo sobre el Obisp.do de Teruel.

LXVI. A 2. de Mayo de 1698. le hizo su Mag.d merced de Plaza de Regente del Cons.o Supr.o de Aragon.

LXVII. A 15. de Marzo de 1702. le hizo S. M. merced de Titulo de Marques del Risco, en Aragon, para si y p.a su Casa.

Karpinski
April 1925

B682
L864p
1-SIZE